

in foro sanguinem, et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est) senatorum capita, et passim vagantes per urbem percussorum greges: et multa millia civium Romanorum, uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Videant ista, qui exulare non possunt. Quid ergo? felix est L. Sulla, quod illi discendenti ad forum gladio submovetur, quod capita consularium virorum patitur appendi, et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? Et haec omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit. Veniamus ad Regulum. Quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? Figunt cutem clavi, et quocumque fatigatum corpus reclinavit, vulnere incumbit, et in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriae. Vis scire, quam non poeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? Refice tu illum, et mitte in senatum: eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deslenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lenè resonantium, quaeritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in eruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad causam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem, magis his quae patitur vexat causa patiendi. Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse: idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem publice mixtam non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam? Male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto venarum